Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8391
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.l.

fundis clamaui. Rursus nouit pieta-
tem ire tue, et pre timore non tua
dimittere. Sed si eo relicto pedem
vine plus tenere contingeret, tanta
econtrario incuria et negligencia dissol-
uebar ut confestim et animo tepi-
dior et actio pigrior et risus prom-
tior et sermo incautior et omnis
denique utriusque hominis status inco-
stantior appareret. Proinde iugiter
instructus experiencia non iudicium
iam solum aut solam misericordiam sed mi-
sericordiam pariter et iudicium cantabo
tibi domine in eternum non obliuiscar
iustificaciones tuas. Cantabiles mi-
chi erant ambe in loco peregrinacionis
mee quousque misericordia superexaltata
iudicio miseria conticescat ac sola
cantet tibi de cetero gloria mea et
non compungatur. **Septimus.**

Ipse michi laborem suscito
qui vos sponte prouoco ad pro-
querendum. Cum enim ego primi
osculi occasione spirituales pedes dei
pedes proprijs diffinicionibus ac nominibus
equidem ex habundanti demicare curaui,
vos percunctatis inquirere et de ma-
nu que secundo loco osculanda proponitur.
Annuo rogo nobis morem insuper non
manum sed manus ordo proprijsque di-
stinctio vocabulis. Largitudo una
altera fortitudo dicitur quod et tri-
buat affluenter et defendat po-
tenter quod dederit. Utraque profecto
osculabitur qui ingratus non fuerit
deum utique sit omnium largitorem bono-
rum ita et conseruatorem recogno-
scens et confitens. Satis de duo-

bus osculis dictum esse reor. Videamus
et de tercio. Osculetur me inquit ore
osculo oris sui. Cuius dicat spon-
sa. Quenam ipsa? Anima confitens .q.
vel sitiens deum. Sed pono diversas
affectiones ut eam que proprie sponse
congruit distinctius elucescat. Si
seruus est timet a facie domini. Si
mercenarius sperat de manu domini.
Si discipulus aurem parat magistro. Si
filius honorat patrem. Que vero
osculum postulat vel petit amat. Ex-
cellit in nature donis affectio hec amoris
presertim cum ad suum recurrit prin-
cipium quod est deus. Nec sunt inuenta .r.
eque dulcia verba vel nomina quibus
verbi atque dulces ad inuicem expri-
merentur affectus quemadmodum spon-
sus et sponsa. Quibus quippe omnia
communia sunt nil proprium nil a se diuisum
habentibus. Una utriusque hereditas, una
domus, una mensa, unus thorus, una
etiam caro. Denique propter hanc relin-
quet ille patrem et matrem et adherebit
uxori sue et erunt duo in carne
una. Hec quoque iubetur nichilominus
obliuisci et populum suum et domum patris
sui ut concupiscat ille decorem eius.
Si ergo amare specialiter ac spiritualiter
sponsis principaliter conuenit, non imme-
rito sponse nomine censetur anima que
amat. Amat autem que osculum petit.
Non petit libertatem, non mercedem,
non denique doctrinam sed more
plane castissime sponse ac sacrum
spirantis amorem nec omnino valentis
flammam dissimulare qua patitur.
Vide enim quale principiat sermonis

.p.